ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

5

Perillustris domine

Heri adfui Egmondae nobilissimo Cartesio non ita pridem
e Gallijs suis cum nobili quodam qui et ipse abstemius et
vinum odit ὅμως ἐλέκω πίνδηνοι, e diverso. commodabam ipsi multum
invitanti adnitentiq operam dentium, ut soleo satis commodus
atq impenetrabilis esse convivator, praesertim apud istius farinae
hospites quorum coenae ut Platonicae etiam postridie sapiunt.
Eramus, quod dies Veneris esset ἰχθυοφάγοι; lanijs tum qui-
dem frigere ac plorare jussis. post haustam salutem tuam
quam ausus fuit et instituere et praelibare Cartesius,
rogitabam discedens, si quid vel ipse scribere et mihi
curandum committere vel suis verbis scriptum vellet.
negabat tum quidem quicquam velle nisi ut salutem
tibi ac suam observantiam sua obsequia tibi adscriberem
sed propediem per nobilissimum Bergei dominum Hagi-
turientem (ut ita loquar) prolixas literas exaraturum
multum ridebat albis dentibus Theologi Leidensis nuper-
rime horribilem in se libellum, quem responso imo
risu suo vix dignabatur. Ego ad haec tacui, negabam
enim mihi lectum quicquid hoc libelli tandem esset, adeo
ut calculum non possim interponere. Et illa qui-
dem hactenus. Nunc pace tua, perillustris
domine, (quam ab ista prolixissima morum tuorum
comitate et facilitate impetrasse confido priusquam
dum oraverim) molestus esse cogor humanitati tuae
hominis honestissimi amicissimique caussa. Est is
Cornelius Ryp, patricius Alcmariensis in urbe patria
caussarum patronus et Ecclesiae Thesaurarius, quod
munus mea apud te, tua apud celsissimum principem
τὸν μακαρίτην commendatione annum jam obtinet.
idem opera tua ~~[illegible]~~ quadriennium obtinuerat Andreas Scagius
ὁ μεδικώτατος ille, quem hic noster Ryppius excepit.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4717

quare unice te rogamus obsecramus ut quod in altero
anno prorogasti mihi beneficium, in hoc continues
et id agas apud novum Augustum Arausionensem
eandem Mecoenas, ut a Patre indultam huic opti-
mo integerrimoque viro Spartam in hunc annum proxi-
mum [illegible]. praesertim cum sine exemplo
hactenus sit ut ~~qui~~ quis citra causam sonticam in hac
urbe Thesaurarij munere intra primum annum
decedere jubeatur. Sed tamen cum quotannis
electio totius magistratus sit penes Princi-
pem, et penes eundem utriusque dignitatis quoque huius
vel nova collatio vel indulta continuatio nullum
morem consuetudinem nullam, jus nullum quo
possumus obtendere, ~~sed~~ sed quicquid hoc est a
tuo favore, a Celsissimi Principis clementia
ac benignitate implorare, sperare, imo pollice-
ri nobis audemus. In quo felici omine desino.

Plurimum salutat te pater meus cui dirus
Hydrops crescit indulgens sibi, quique et tussi
et febri identidem laborat, lento denique mor-
bo sensim (utinam falsus sim) conficitur et con-
tabescit. Salutem ejus deo immortali meam
tibi post deum immortalem commendo

Alcmariae
ipsis Idib. Decembr. 1647.

Illustris domine,

tuus omni nomine

Bruno.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4717

Mijn Heere

Mijn Heer van Zuijlichem, etc.
Ridder, raed en Secretaris
van Sijn Hoogheijt

In 's Graven Hage.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4717